



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 13. Aurelianensis dux a Carolo Rege Libertati restitutus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. Prænestinus Episcopus, ac Marchiæ An-
A C. 1491. conitanæ Legatus renunciabatur. De-
 mum mense Octobri hujus anni Spiritum
 Deo reddidit, annos natus septuaginta
 duos, Romæ in Ecclesia S. Prædis se-
 pultus, ubi hodiedum illius epitaphium
 legitur.

Auberii hist.
Card.

Ciacon. in
Ins. VIII.

Tertius denique obiit Joannes Arcim-
 boldus Cardinalis, patria Mediolanensis,
 cujus urbis antea Senator, mortua de-
 mum conjuge, Novariensis Episcopus
 nominatus fuit, postea anno supra mille-
 simum quadringentesimo septuagesimo
 tertio ad Purpuratorum Senatum voca-
 tus, ab Innocentio VIII. Archiepiscopi
 Mediolanensium Sedi, necnon D. Am-
 brosii Abbatiae præfectus est. Tandem
 Romæ vivis valedixit, & Guidonem Ar-
 cimboldum suum filium in Archipræsula-
 tu Mediolanensi Successorem habuit, ei-
 demque Sedi alius quidam illiusmet Ne-
 pos, postquam viginti quatuor annos
 Novariensem Ecclesiam rexisset, suffe-
 ctus est.

§. XIII.

Aurelianensis Dux a Carolo Rege li-
bertati restitutus.

Jaligny &
Bellefor. hist.
Carol. VIII.

In Galliis Borbonii Ducissa Aureliæ Du-
 cem in custodia detineri, ratum fi-
 xumque habuit, verita, ne libertati affer-
 tus,

tus, nimiam in Senatu auctoritatem si-
 bi arrogaret, aut novam factionem con-
 flaret: verum Carolus VIII., perspectis
 sororis suæ consiliis, cum ad speratas
 cum Britanniae Ducissa nuptias plurimum
 referre cognosceret, si Aureliæ Ducem
 suis partibus propensum redderet; hinc
 in id maxime incubuit, ut eundem li-
 bertati restitueret; ne vero Ducissa ejus
 soror ullo pacto obsistere posset, ea in-
 scia rem hoc modo executus est. Tum
 Plessiaci prope Turones Rex agebat, in-
 de quæsito venationis obtentu profectus,
 usque ad Barangoniæ pontem procedit,
 atque Albinici Toparcham ablegat, da-
 to negotio, ut Bituricensis turris Guber-
 natori præciperet, quatenus illico capti-
 vum suum omnino liberum Regi traderet.
 Hic Regis mandato obtemperat, Dux-
 que ad Caroli pedes provolutus, sub-
 missionis, fidei atque inviolabilis amici-
 tiæ constantiam profitetur, quem Rex
 perbenigne exceptit, omnem ei præteri-
 torum oblivionem, mutuamque amorem
 pollicitus. Ducissa Borbonii, quamvis
 summo opere commota esset, nihilominus
 indignationi suæ imperabat, atque spe-
 cietenus omni officiorum genere Ducem
 prosequabatur.

Sæcul. XV.
 A.C. 1491.

Interea Dunensis Comes, mox com-
 perta Ducis Aurelianensis libertate, nil
 interea

*Argentor
 hist. Britan:
 l. 13. c. 58.*

Sæcul. XV.

A.C. 1491.

intentatum reliquit, ut eundem in consiliis, quæ ei antea suggererat, firmaret. Ipse etiam Rex Ducem ad præstandam hac in re operam favorum amplitudine ac sinceræ amicitiae significationibus acriter stimulabat, eumque Normanniæ Præfectura, necnon supremo copiarum hujus Provinciæ imperio decorabat. Equidem Aurelianensis hisce honoribus auctus, nulla mora in Normanniam contendit, Regis Angliæ conatibus obviaturus, qui jamjam in eo erat, ut Gallis bellum denunciaret. Post hæc Dux nonnisi mense Novembri anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo apud Rhedones Britanniae Ducissam alloquendi copiam obtinuit. Hæc graviter conquesta est non tam de Maximiliani cunctatione, quam longe acerbius de Gallorum perfidia, qui defuncto Duce, ejus Patre, pactam induciarum fidem violarunt, & quamvis magis Gallis, quam Regis personæ indignaretur, ubi tamen eidem nuptiæ cum Carolo Francorum Rege proponebantur, eas primo cum fastidio rejecit, constanter caussata, se arcto connubii vinculo non minus Romanorum Regi obstrictam, quam ipsum Galliae Regem cum Margarita Austriaca rite desponsatum esse, tandem vero placatior facta est, stimulantibus Arausio-nensi Principe, Rivenarum Marefcallo,
Aure-

Aurelianensi Duce & Montalbano Can-
cellario, qui plurimum apud eam gratia
valebat; hi enim tantum ab illa impe-
trarunt, ut primo allegatum, ne datam
fidem violaret, timorem Gallicæ Regi-
næ honori postponere haud dubitaret,
nec tamen, absque prævio Senatus sui
placito, ullatenus disertis verbis nuptias
polliceri voluit.

Sæcul. XV.

A.C. 1491.

§. XIV.

*Britannæ consensu in matrimonium
cum Galliarum Rege.*

Postmodum Carolus rebus suis provide
intentus exercitum suum sub Duce
Trimollio propius Rhedonensi urbi admo-
vit, aliud vero agmen, cui Sanandrea-
nus præerat, unico duntaxat lapide ab
eadem civitate castra ponere iussit. Igi-
tur Britannæ Ducissa, cum hinc armis
cineta, illinc durissimæ obsidionis metu
perculsa, nec copias ad resistendum ha-
beret, & de fide subditorum, utpote
hisce nuptiis faventium, dubitaret, ac
insuper eos ipsos, quos sibi fideliores cre-
debat, connubii suasores experiretur,
imo per ipsum Aureliæ Ducem, omnem
ditionum suarum salutem ex hoc solo nu-
ptiali pacto pendere intelligeret, necnon
omnes Ducissæ Senatores Dunensis Co-
mitis & Rivenarum Marescalli argumen-
tis

tis